



Uotquot inter Romanos Pontifices *Illustre Six-*  
*Sixti* appellati sunt, ad magnum *torum Pon-*  
famæ fastigium ascenderunt; ne- *tif. Nomen.*  
que illud sine merito, quum vel  
veris virtutibus elucescerent, vel  
iis, quæ seculo, quo vivebant, con-  
ducere videbantur.

*Sixtus I*, ab A. C. CXVII. Romanæ Ecclesiæ guber- *Sixtus I.*  
nacula gerens, ( si illa etiam demas instituta, quæ in du-  
bium vocari possunt, quæque sine damno abesse vel adef-  
se poterant: sive etiam *Missio S. Peregrini* (a) ad *Gallos*,  
Epistolæve scriptæ, inter incerta atque probatu difficilia  
reponantur; ) attamen vitæ sanctitate, insignique veri-  
tatis defensione multum profuit, nec parum Ecclesiæ  
commoda amplificavit. Inde omnibus Martyrologiis  
inscriptus, templis arisque honoratus, de quo cum *Ale-*  
*trina* Ecclesia jam ab Anno 1132. gloriatur, *Romana* tamen  
simul hujus venerationis partem offerre cœpit, ab anno  
1665. composito in honorem *Sixti* officio, per *Josepbum*  
*a S. Fide*, quod *Papebrochius* testatur d. VI. Aprilis.

A

Hunc

(a) Vid. Franc. Bosquetus L. 2. Hist. Eccl. Gall. c. 1. quæque de eo di-  
sputant Historiographi S. ad diem 16. Maji p. 562. & Joannes  
Chenu in Catalogo Episc. Autisiodorensium.